



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt II. Episcoporum dissensio, an quibusdam in causis agendum ab ipsis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis. Decretum emendationis pro comprobato concorditer habitum. Pontificis diploma, quo iubentur ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis pariter excipiantur auctoritas. Fuisse quoque quosdam ex Patribus auctores (id maxime Hispani contenderant) ut cuncti Sacerdotiis præditi ad examen reuocarentur, quo expungerentur omnes inepti, ut cuncta iam indulta laxamenta pariter abrogarentur; cunctæ plurium Sacerdotiorum coniunctiones. At tam acria consilia tempori nequaquam congruere: legislatorem quandoque ob nimium disciplinæ studium non infructuosum modò, sed ridiculum euadere. Considerarent utique non profutura tantum, sed possibilia; & ubi duas hæc condiciones nacti essent, omnem in ea curam impenderent. Hæc Montani verba quietis gratiæque auribus accepta. Tum Ceruinus Nouatorum errores proposuit, de Sacramentis generatim, ac de duobus prioribus speciatim, iam expensos ferè quotidie in congressibus peculiaribus Theologorum, ubi plurimi aderant Patres; & pro iis, quæ ibi agitata fuerant, in quatuor classes distributi. Multi ex his erroribus sine controuersia erant hæretici, alij cum aliqua declaratione damnandi, alij omittendi; postremi in primam classem, tamen non ita perspicuè, redigendi. Enimuerò si tantum curæ à publicis Magistratibus impendi posset in comprobando bono, quantum in condemnando malo, multò præstantius floureret virtus: sed labor ille quia necessarius, utique toleratur; hic planè intolerabilis videtur, vel quia tantum in melius tendit, vel propter alias penitiores difficultates.

C A P V T I I.

Episcoporum dissensio, an quibusdam in causis agendum ab ipsis esset tamquam Sedis Apostolicæ delegatis. Decretum emendationis pro comprobato concorditer habitum. Pontificis diploma, quo iubentur Cardinales in suis Diocesibus residere, & pluribus Ecclesiis haud præesse.

I Diebus singulis præter Dominicos continuati de moribus reparandis congressus, donec in generali cœtu vigesimaquarta Februarij Decreta, quæ selecti Patres conflauerant, sunt proposita. Verùm Giennensis, antequam suam mentem patefaceret, Montanum est percontatus, quæ relata fuerant in superiori Sessione, confirmata necne fuissent; aliter quippe si pars altera poneretur, aliter si altera se locuturum. Videbatur ad id usque temporis Montano, haud posse pro confirmatis haberi ea Decreta, ob contradicentium numerum. Collega oppositum arbitrabatur; quare ad

1547.

ad accuratius examen postridie habendum ea delata; cum Fæfulanus per inquietam, quæ agi solebat, Episcopalis auctoritatis zelotypiam, cœpit libellum legere, quo refellebat, Episcopis, in causis de quibus dictum est, agendum esse tamquam Sedis Apostolicæ delegatis, causatus, id quod ipsorum muneris est, alterius nomine nequaquam ab illis præstandum: & nescio quæ Clementis Primi verba in hanc sententiam adduxit. Pighinus Aliphanus tunc Episcopus, ratus suum esse rueri Pontificiam auctoritatem, cuius & Romæ in duodecimuirali iudicio, & Tridenti administer erat, interpellauit, affirmans, enuntiationes huiusmodi hæresim sonare; idcirco libellum traderet, se enim paratum esse accusationem sustinere, nixum Canone *omnis*, distinct. 22. vbi Nicolaus Secundus pronuntiat, cunctas reliquas Ecclesias & Patriarchis, & Metropolitibus, & Episcopis subiectas, à Romana fuisse constitutas: ac proinde qui illarum ius detrahit, eum iniuste agere; qui verò hanc impugnat, in hæresim labi.

At Fæfulanus sua dicta propugnare, promptumque se profiteri ad censuram Concilij subeundam. Aliphanum Albengensis secutus Apostolicæ Camere auditor: cumque vtrique licere sibi videretur perinde in Tridentina Synodo ac in Romanis tribunalibus iudices agere, vociferari, Martellum, quippe sæpius in huiusmodi errata relapsum, haud amplius tolerandum. Fæfulano Pæccus affuit, atque Concilium libertate frui; interpellandi verò & obiurgandi potestatem penes solos Præsides esse. In eandem sententiam Hispani ceteri locuti vñ cum Vigerio Senogallienti Episcopo, qui illis adhaerebat: sed præ ceteris Stabienfis excanduit, inter quem & Auditorem Camere acerbior altercatio suborta: quiritari Calaguritanus, adimi Concilio libertatem, ac veniam proinde postulare, se suam ad Ecclesiam recipiendi. Armacanus, qui ante biduum Romam redierat, quò sui priuati negotij causa profectus fuerat, testari, sibi Pontificem declarasse, velle se, vti Patres in Concilio plenam loquendi libertatem exercerent; quod plausu ab Hispanis acceptum, quandoquidem per eam Pontificis laudem licebat ipsis impune ministros Pontificios redarguere.

a In Diario
22. Februarii
1547.

Adhuc tamen Auditores Romani Fæfulanum vrgebant, vt libellum traderet: quare primus Legatorum anathema, nisi libellum traderet, Episcopo denuntiavit. Qua in re fortasse, vtpote subitanea, minus consultè se gessit; cum per importunam iussionem, in discrimen adduceret & Fæfulanum, simul certamine simul patrocinio inflammatum, se agendi præcipitem in contumaciam, & suam aucto-

auctoritatem in despiciat, ob impunem contumaciam prælabendi. At Fæfulanus, quamuis serò & grauatè, se fregit, ac libellum Ceruino porrexit; non tamen rumor & altercatio deferbuere: quocirca Montanus grauem orationem exorsus, Nisi suam ipse spem fixisset in Deo, haud prospera se fuisse præfagiturum de eo Concilio, cuius dissidia ad aures iam peruenerant non modò Catholicorum cum mœrore, sed hæreticorum etiam cum despectu. Credi à se, Fæfulanum bono studio impulsus: antea ipsi condonanda, modò in posterum ab ea agendi ratione abstineret. Tum alter Legatus ad Aliphantum & Albengensem conuersus, eos leniter corripuit, quòd sibi assumpsissent partes Præsidentum, in quibus debitum in Apostolicam Sedem studium minimè desiderabatur, & iniunctum munus ac potestas inerat eiusdem studij in huiusmodi euentibus exercendi: quod ipsi Præsides patienter audiebant, ceteris pariter esse tolerandum. Postremò cohortatus est eos Patres, qui se iurgio lacesauerant, ut sibi inuicem, pro eo ac Episcopos Christianos decebat, iras offensionesque remitterent. Ad hæc se illi mutuo amanter amplexati: Fæfulano redditus à Ceruino libellus, ac tandem ex perturbatione coorta serenitas.

4 Die postero^b retulit ad conuentum Montanus; Dispectis à se ^{b 25. Febr.} diligentius superioris Sessionis suffragiis, aliter iam sentire tum de Patrum numero consentientium Decreto, tum proinde de legitima illius comprobatione. Eis igitur enumeratis, ipsorumque perpenso tenore, rationem subduxit, ex iis Patribus, qui disertis verbis Decretum probauerant, & iis qui Præsidentum sententiæ generatim adhæserant, summam confici longè supra dimidium. Hisce insuper adiiciendos Generales religioforum Ordinum Moderatores, & Abbates, aliosque ex Episcopis, qui sua suffragia generatim cum Concilij iudicio conformauerant; ynde Decreti confirmationem multis partibus potioem esse. Quod concordi consensu declaratum. Post hæc Montanus adiecit, velle se solatij communis gratiâ Epistolam Farnesij Cardinalis recitare, quod præstitit: quâ nuntiabatur, in Senatu decimo octaua Februarij Diploma fuisse à Pontifice promulgatum, quod supra narrauimus, de mansione Cardinalium Episcoporum apud suas Sedes præscripta, & de plurium Ecclesiarum cura eisdem interdicta.

5 In huius deliberatione Diplomatis Pontifex diu hæserat, quòd iam concessa, nunc sibi reuocanda cernebat; gnarus, quantò facilius sit non concedere, quàm priuare concessis, adeoque legum esse, futuris consulere, non præteritis. Et ipse quidem suam hanc

Pars II.

B

volun-

1547.
c Epist. Maffei ad Ceruinum, 5. Febr.
1547.
d Litteræ Maffei,
11. Februar.

e Ex Diario,
25. Februar.

voluntatem significarat, ^c addideratque, ex repulsa, quam nuper tulerant Cardinales Ferrarientis, Barbonius, & Sfortia, de plurium Ecclesiarum coniunctione, ^d satis patere, id quod in posterum obseruandum erat, iam in præsentia præstari. Sed rescripsit Ceruinus, vrgentem reipsâ morbum solâ nouæ corruptelæ abstinentiâ non satis curari. Quemadmodum haud fas erat Concilio, iudicare aut corrigere quæ Pontifex egerat in legum relaxationibus hac illâ ratione impertiendis; ita hîc aptè repeti posse quod antiqua Synodus Marcellino Pontifici dixit, *Te ipsum iudica*. His itaque rationibus adductus Pontifex, neque quicquam in Purpuratis Patribus durius nactus, ad conficiendum Diploma se flexit, quod summa cum Pontificis commendatione à Synodo susceptum est ^e; tum quod re ipsa laudem merebatur, tum quod vniuersè grata est abruptio canalis, quo in paucorum domum vbertim confluunt laxationum commoda, dum ceteri aridam legum seueritatem patiuntur.

CAPVT III

Quid actum inter Pontificem & Cæsarem de Synodo, ac de fœdere: & varia tum intra tum extra Concilium funera.

a Litteræ Maffei ad Ceruinum, 26. Nouemb. & 4. Decemb. 1547.

b Litteræ Maffei ad Ceruinum, 23. Februar. 1547.

c Litteræ Maffei ad Ceruinum, 4. Decemb. 1546.

d Litteræ Ceruini ad Farnes. 24. Februar. 1547.

DUm hæc agebantur, vehementer ambigebat Pontifex, ^a conrinuandum necne sibi fœdus cum Cæsare: Legatosque ipsorum sententiam rogauerat; qui tamen quid ex eo rescripserint, mihi incompertum. Soluebatur ille promissione persistendi amplius in eo fœdere; non modò quia sex menses conditi iam fluxerant, sed etiam quia Cæsar cum Palatino, ^b cum Wirtembergico, cum variis liberis Ciuitatibus concordauerat, neglectâ conditione, dummodò Pontificis obsequio se submitterent; quin etiam ne expectato quidem illius consensu, pro eo ac fœdere sancitum erat, neque re Nuntio communicatâ ^c. Nouum Septemuirum Mauritium Saxonem, ab ipso susceptum Ioanni Frederico, quippe perduelli, ac Brandenburgicum secum fœderatos haud compulerat vt à Pontifice Septemuiratus comprobationem deposcerent, suosque Oratores ad Concilium mitterent, atque ereptas Ecclesias suis Episcopis restituerent. Et ex altera parte, cum animaduerneret Cæsar, longè durissimam accidere perduellibus Religionis mutationem, ^d satius existimabat, lento gressu quàm saltu procedere, priusque ad suam illos obsequelam, deinde ad Dei & Petri obedientiam adigere. Sed euentus consilij fallaciam patefecit, cum ipsa in Deum contumacia sapius contumaciam in Cæsarem exciuerit.

Quando-